



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Vini commoda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

Ethica.

Jam doctrinam subijcitemus non unam. I. (a) Bacchus fingitur specie venusti pueri, hilaritatem vultu præferentis, tibiam, lætitiae instrumentum, manu tenentis. *Vinum enim, teste regio Vate, lætitiat cor hominis.* psal. 103. Et Siracides cap. 31. *Vinum in jucunditatem creatum est, & non ad ebrietatem.* & ibid. *Exultatio est anime & cordis vinum moderate potatum.* Ideò Bacchus à Nymphis educatus fertur, ut scilicet lymphis mitigetur, si ferventiùs incalefacat. *Lyæus*, quod diximus, à solvendo dicitur, nam solvit animum curis. Unde Horatio vocatur *Lætitiae Dator*. Notum est illud Anacreontis: *Quando bibo vinum, dormiunt cœra.* Et illud Zenonis: *Sicut lupini amarissimi crebra aquarum aspergine macerati dulcescunt: ita animi tristes vino irrigati molliuntur atque mitescunt.* Ovidius canit:

Cura fugit multo diluiturque mero.

Et Tibullus lib. 1. eleg. 7.

*Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos,*
Astonat Horatius lib. 1. Od. 18.

*Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem
crepat?*

Apud Ciceron. 3. Tusc. legimus: *Huic calix nulli impingendus est, ut plorare desinat.* Monet Salomon Prov. 31. *Date siceram parentibus, & vinum his, qui amaro sunt corde: bibant, & obliviscantur gestatis sui, & doloris sui.* Sed hæc lætitia limites moderationis ne excedat, nam fistula manu Bacchi gestata quosdam longius extra temperantiam abripit; & fit, quod Prov. 23. dicitur: *Vinum ingreditur blande, sed in novissimo mordet ut coluber, & sicut regulus (seu basiliscus) venena diffundet.*

II. (b) Nuditas Bacchi significat vinô secreta revelari. Hinc Ovidius:

*Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes (c) excutiente Deo.*

Et Horatius Od. 21. lib. 3. de vino:

*Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu Sapientum
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.*

(a) *Vini commoda.* (b) *Vinum secreta revelat.* (c) *Aflutiam expellente.*

Idem

